Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1443
Quelle:
Copyright:

rialem et formalem hujus Vocationis, et ſolam *finalem* juxta *tres*, ut ait, *terminos*, qui ſunt *Honor ſeu perfectio Jerarchice prelacie* (angl. *prelacy*), *ſanctificacio vel perfectio eccleſiaſtice Jerarchie, cena ſiue refectio olimpice melodie*, expendit. Multus eſt in exaggerandis malis, quae Eccleſiam vexabant, ſimonia, venalitate beneficiorum, luxu et ignorantia Praepoſitorum &c. Inter alia: *Hec cauſa illa originalis tocius ſciſmatis, in Romana ſcilicet curia reuelacio carnis et ſanguinis, quod nunquam erit ei vniuerſus in obediencia orbis indifferens, donec eam indifferentem eſſe didicerit quoad vniuerſas Subditorum prouincias in proiectione habilium ad faſtigia in eadem, et ſcientia et meritis compenſandis.* Item: *Sed quomodo negari poſſunt preces, quas tot regales ymagines in florenis commendant?* Item: *Ad ſanctificationem nempe ſeu reformationem eccleſie vocauit nos Dominus in pyſano Concilio* (1409) *ſed uoce coruina utebamur dicentes et promittentes: cras cras reformabitur. — Si conſimiliter pretendentes nos velle hic facere vnionem reformacionem eccleſie ridiculoſius differamus dicendo: Cras reformabimur, de quo cras vno cras puto mille fient, peioribus indubie ſuperuenient peſſima.* Item: *Non poſſum conniuenti oculo pertranſire, quin merendo admirer, et meream admirando, quod in hoc ſacro generali Concilio preter venerabiles Religioſos, qui in illa ſcientia omnes innutriti ſunt, ultra duos prelatos in ſacra theologia doctores non video* &c. Habitum fuiſſe hunc Sermonem exeunte Quadrageſima non uno loco innuitur.

Fol. 264. p. 2. *Sermo* II. incipit: *Preſtantiſſimi Domini* &c. *Dum veris lacrimis ora rigabam* &c. Parentat *Richardus* celeberrimo Card. *Florentino Franciſco Zabarellae*, qui meritis et annis gravis vitam finivit *Conſtantiae* a. 1417. 25. *Sept.* ut habet ejus Epitaphium in Templo *Minorum* ejus Urbis. Et 27. quidem ſequenti pro concione laudatus eſt a *Poggio Florent.* 2. vero *Oct.* a Noſtro. Utramque Orationem habes in *Act. Concilii* T. I. P. 9. p. 537. et 46. ſed noſtrae in *Codice Lipſ.* unde deſumſit *Hardtius*, Autoris nomen adſcriptum non erat; nec magis comparet nomen iſtud in *Cod. Augiae Divitis* multas ejusmodi Orationes complexo, ut liquet e *Praef.* P. 8. T. *cit.*

Fol. 270. *Sermo* III. in Die Epiphaniae. Thema: *Surge illuminare ieruſalem. Yſa.* 60. c. Initium: *Reuerendiſſimi* &c. *ad ipſam in exordio ſceptrigeram et ſublimem celorum reginam ſalutacione nos decet conſueta recurrere* &c. Deinceps e tribus illis verbis Thematis triplex Virgini texitur elogium videlicet: *ex commendabili obedientia virginee puritatis, ex admirabili prefulgencia eximie claritatis, ex ineffabili precellentia deifice dignitatis;* frequenter tamen etiam ad praeſentem rerum cardinem reſpicitur. Ita de debito obediendi Matri Eccleſiae ait: *ponente veritatem hanc ſuper candelabrum penalis decreti, que prius*

ſub